1530.

Andreas Krzycki Episcopus Plocensis
Bonae Reginae Poloniae

112

Sacra maiestas Domina mea Clementissima. Humillimam mei commendationem. Res nostrae Conventualis tota, adhuc ad bellum spectat et metuo ne adhuc Poloniae id etiam sit fabricatum, mira enim illic erat inter quosdam, qui sibi infesti videbantur, Consensio. tentant Domini Saeculares adhuc nuntios ad contributionem aliquam inflectere, nobis spiritualibus diras invitantes, quibus dictum est ego mitto vos sicut oves in medium luporum. Nos ad mandatum Domini nostri fecimus semper et parati facere sumus, quidquid inservit ad mina illorum, qui onus et debitum suum in nos reiiciunt, nihil faciemus etiam si extrema sint subeunda, is praetextus nunc est belli apertus adversus spirituales, de occultis causis nolo divinare quod sentio, videvit iota Deus qui Consilia Impiorum prosperare non solet. Dominus Dux Prussiae adhuc expeditus non est, ea causa quam prius scripsi res ad alium Conventum reiicietur. Caetera significabo per aliquem. Maiestati vestrae Serenissimae

Serenissima Post conclusum Conventum quod iam brevi est futurum Commendo me humiliter Sacrae maiestati vestrae Piotrcoviae die S. Stephani Anno 1530.

Clementissima mea Domina post scriptas Literas diximus sententias de negotio Domini Ducis Prussiae cumque diversi essemus, aliis censentibus recipiendum illum ad electionem Regum obviis manibus, aliis contra maiestas Regia Sanctissimam protulit Sententiam rem plenam esse periculi deducens, sicque negotium suspensum est ad reformationem iurium utinam Maiestas sua quae melius omnia intelligit quam nos ita pronunciare, velle et praecipere nobis dignaretur in omnibus